



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXIII. De Cambiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De Cambiis.

Habet Dubitationes II.

Cambium magnam habet affinitatem cum contractu emptionis, id eod proxime post emptionem & venditionem, & post contractum censuarium (qui est species emptionis) dicendum est de cambiis.

DVBITATIO I.

Quid sit cambium, & quodplex.

NOTANDVM est, Cambium generatim idem esse quod permutationem. cambire enim est permutare. sed ex vsu vulgato solum accipitur pro permutatione numismatum. & hoc modo hic loquimur de cambio. soletque sic definiri, Cambium est permutatio pecunie pro pecunia. Nomine permutationis generatim significatur omnis contractus onerosus. nam in his omnibus est quedam commutatio, vt patet in emptione, mutuo, locatione & similibus. verum in proposito permutatio accipitur proprie, vt distinguitur a contractibus nominatis; vt nihil sit aliud quam vltro citroque datio rei pro re, vel pecunie pro pecunia. hoc modo est genus ad cambium, & ad permutationem rerum.

Cambium quid.

Permutatio.

Mutuum differre a cambio.

Res existens cum non existente futura potest permutari.

citum tamen est facere pactum, & inchoare ipsam permutationem, tradendo rem presentem, etiam si altera nondum sit. Si tamen neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cum nulla possit fieri traditio. potest tamen fieri conuentio de permutando, vt patet ex L. 1. §. de rerum permutatione; hac enim perficitur consensu.

Petes, Ad quam speciem contractus pertinet cambium?

Respond. Possit referri ad varios. Primò enim ex vi nominis pertinet ad contractum permutationis, tamquam eius species, vt dictum est; sine permutentur pecunie diuersorum generum, siue diuersorum locorum, nempe presentem cum absente. Secundo, Pertinere potest ad contractum emptionis & venditionis. Ita Caietanus Opusc. de cambiis cap. 7. quod habetur t. 2. tract. 7. Siluester Vltura 4. quæst. 8. Bonifignius tract. de cambiis cap. 6. num. 7. quod maximè consentaneum est vsui mercatorum, qui pecuniam absentem spectant tamquam mercem, eamque presentem pecunia tamquam pretio emunt & vendunt: nam pecunia non solum est pretium & mensura rerum venalium; sed etiam potest esse merx venalis, tum ratione materiae, quæ melior vel deterior est; tum ratione commoditatis conseruandi, deferendi, numerandi; tum ratione distantie localis, vt infra patebit. Tertiò, Ad contractum locationis & conductionis operarum; præsertim si loquamur de cambio, in quo campfor accipit prior, vt alibi reddit: tunc enim censetur pecuniam alterius ex hoc loco in alium traicere; quæ opera est pretio digna. dum verò hic dat vt alibi accipiat; non ita proprie traicit alterius pecuniam, sed permutat presentem cum absente, quæ minoris æstimatur; quia vt presentem fiat, traicere debet. Quarto, Referri potest ad contractum innominatum, do vt des. Ita Nauarr. cap. 17. n. 294. sed parum refert ad quod genus contractus pertineat, modò seruetur æqualitas inter datum & acceptum, vt rectè docet idem Nauarr.

Cambium refertur ad varios contractus.

Pecunia vis est merx.

Diuiditur autem à DD. cambium in reale, & sicum. Cambium sicum vocatur, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eod quòd imaginem quamdam cambij præferat; vt quando habetur sola ratio temporis, aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum vsura. dicitur sicum, quia caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum.

Diuisio cambij. Sicum.

Reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iuste aliquid lucri capi potest. Hoc subdividitur in minutum & locale. Minutum est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei, vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum greis, maiorum cum minoribus, arrosorum cum integris, veritorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum externis.

Reale. Minutum.

Locale cambium (quod etiam vocatur cambium locale per litteras) est quando permutatur pecunia presentem cum absente.

D V B I -

DUBITATIO II.

Utrum in cambiis minuto liceat aliquid accipere supra valorem nummi lege definitum:

7. *Varij tituli lucrandi in cambio minuto.*

1. *Lucri cessantis causa.*

8. *2. Ratione officij cambiensis.*

9. *An sine auctoritate Principis.*

10. *Ratione laboris numerandi.*

Vt si aureus nummus lege taxatus sit 120. grossis, vtrum liceat exigere 122. vel 123. dum aurei nummi commutantur cum minutis argenteis?

Respondeo, Possesse interuenire varias causas, ob quas id sit licitum.

Primò, Ratione lucri cessantis tantum potes exigere supra valorem legitimum, quantum estimabitur illa spes lucri, qua te per cambium priuas: vt si constitueras nummos aureos aliò deferre, vbi plures valeant; vel alibi merces emere, vbi sine damno alià monetà emere nequis. Nec obstat quòd pretium lege taxatum consistat in indiuisibili; quia illud incrementum non accipitur pro nummo ipso præcisè considerato, sed pro lucro ex eo sperato. Eodem modo licitum est accipere supra pretium legitimum frumenti, vini, & aliarum rerum, si aliò, vbi plures valent, delatus eras, vt supra dictum est.

Secundò, Ratione officij cambiendi, præsertim si id alicui à Repub. vel Principe sit concessum. hoc enim officium includit obligationem cambiendi, & multa onera, (vt paratam habere pecuniam varij generis in gratiam aliorum, numerare cum aliquis petierit, custodire assidue cum sollicitudine) quæ sunt pretio estimabilia. Itaque pro hac obligatione & his obsequijs, quæ in commodum aliorum præstat, potest à singulis aliquid exigere (si aliunde stipendium non habet) nempe quantum necesse est vt tale officium ex æquo compensetur; sicut dictum est de Monte pietatis c. 20. dubit. pænult. vide Conradum q. 99. conclus. 4. Ratione huius tituli non solum potest aliquid lucrari, dum monetam magnam cambit pro parua, vel auream pro argentea; sed etiam dum minutam pro magna, siue aurea, siue argentea, commutat: nam vtrumque fit in gratiam eius qui permutationem petit, & ob vtrumque officium suscipitur & varia pecunia procuratur.

Dixi, Præsertim si à Principe hoc officium concessum; quia quidam putant nihil posse accipere eum, qui sponte sua absque tali auctoritate hoc officium sumit. Verùm si hic eadem obsequia præstet, non video cur non possit aliquid exigere; etsi non tantum, quantum illi, qui id ex obligatione faciunt. nam obsequia illa in gratiam eorum, qui petuntur sunt, præstata, aliquam mercedem merentur, & ita tenet Nauarr. cap. 17. n. 288. Imò vbi pretia cambiorum iam sunt constituta, vel scitur quantum hoc tempore camplores solent accipere; probabile est posse priuatum hominem, si forte se offerat occasio cambiendi, tantundem accipere; sicut in rebus venalibus.

Tertiò, Ratione laboris numerandi pecuniam. Caietanus tract. de cambiis cap. 1. putat ratione huius tituli nihil posse accipi; tum quia non est pretio estimabilis; tum quia si pretio estimare quis velit, compensatur labore alterius, qui pecuniam etiam numerare debet.

Verùm communis sententia DD. est, ob hunc titulum posse aliquid exigere, etsi parum. Ita Con-

radus q. 99. conclus. 5. Nauarr. supra. Sotus lib. 6. q. 9. art. vnico. ratio est, quia hic labor est pretio estimabilis, etsi interdum gratis præstari solet: quare etiam fiat ad petitionem alterius, poterit pro eo exigere compensatio. ab eo enim, qui petit aliquid in suum commodum præstari, potest merces reperi. vnde etiam in mutuo aliquid ratione huius laboris accipi potest. Neque verum est, numerationem vnus compensari per numerationem alterius; quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambium petit, sicut in mutuo. nam secunda est propter primam; prima autem esse propter petentem: ergo & secunda censetur esse propter eundem.

Quartò, Ratione puritatis materię. Medina q. 7. de vsura, negat hoc titulo posse aliquid accipi à camploribus. ratio ipsius est, quia in taxando pretio Princeps habuit rationem puritatis materię, ac proinde non potest ob hanc causam plures estimari.

Sed contrarium tenent Caietanus de cambiis cap. 6. Sotus & Nauarr. supra, & alij. Probat, Quia scutum auri purissimi, cui nihil alieni metalli est admixtum, etsi non sit maioris taxæ legalis, quàm scutum auri impurius; est tamen maioris pretij vulgaris, ratione materię: communi enim hominum iudicio plures estimatur, quia materię estimabilis (nempe auri) plus habet; ergo instar mercis plures potest vendi, & commutari. sic antiqui ducati duplices plures estimantur quàm noui, etiam si lege idem pretium habeant. Itaque licet veteres commutare nouis cum tanto auctario, quantò est plus auri in illis quàm in his.

Ad rationem Medinæ Respondeo, Principis mentem non esse, quin huiusmodi nummi puriores, si tamquam res commutentur cum impurius, possint ratione materię plures estimari; (id enim esset irrationabile, ac proinde non obligaret subditos in conscientia) sed tantum præscribere pretium eorum, quatenus sunt mensura rerum venalium & solationis debitorum; vt infra magis declarabitur.

Quintò, Ratione commoditatis seruandi, transferendi, numerandi, & vbiq; negociandi. Hunc etiam negat Medina & quidam alij Doctores. Primò, Quia Princeps in pretio taxando, huius commoditatis rationem habuit. Secundò, Sicut moneta magna & aurea habet sua commoda, ita etiam minuta.

Sed contrarium tenent DD. citati; & merito, quis enim non plures estimet 1000. coronatos in auro, quàm in pecunia minuta argentea? itaque in his permutandis potest hæc commoditas, qua se quis priuat, estimari, nihil tamen amplius peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit; vt rectè notat Caietanus.

Ad primam rationem Respondeo Primò, Principem eatenus habuisse rationem huius commoditatis, quatenus maius pretium illis nummis impositum, quàm tantundem auri in minutissimas partes distributum haberet. eo tamen pretio imposito, adhuc plures estimatur quàm pretium illud in minuta pecunia. neque id Princeps tollere potest, (quamuis possit prohibere commutationem) quia est conditio consequens rei naturam.

Respondeo Secundò, Principem non intendere illos nummos taxare secundum omnem rationem, & ad omnem vsum quem habere possunt; sed solum, vt sint mensura rerum venalium, & solutio.

Nummi dupliciter considerantur.

solutionis debitorum. dupliciter enim nummi considerari possunt. Primò, Formaliter vt nummi, seu vt sunt mensura rerum venalium; qui est vsus earum primarius. sic non pluri valent quàm lege Principis sunt taxati, vel saltem quàm vulgò in emptionibus & solutionibus debitorum solent exponi. quod addo, quia sæpè fit vt formalis æstimationum numerorum crescat supra taxam legalem, ex appreciatione & vsu vulgi, Principe non contradicente; idque ob materiæ puritatem vel pondus, vel quia in locis vicinis pluri æstimantur; & tunc possunt passim in contractibus eo pretio exponi; quia illud censetur legitimum. Secundò, Materialiter, seu ratione conditionum; quas habent ex materia vel figura; vt ratione puritatis vel copie materiæ, vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis; hæc enim omnia censentur conditiones materiales. nam etiam ipsa imago est quid materiale in nummo, quâ nummus est. secundum hanc rationem habent vsum secundarium, & sunt res vendibiles & permutabiles cum aliis nummis. nec sunt taxati lege; sed habent vulgarem æstimationem, quæ non consistit in indiuisibili sicut legitima, sed constat suis gradibus pretij infimi, medij, summi. vnde possunt vendi & permutari cum aliquo lucro, iuxta receptam locorum consuetudinem. ita docent Caiet. c. 1. & 6. Conradus, Sorus, & Nauarr. supra, & alij passim. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare, nisi secundum æstimationem legalem, seu eam, quam habent vt nummi ad vsum primarium.

Ad secundam rationem, Monetæ parua etiam sua commoda habent, sed exigua copia cuique sufficit, quæ facillimè potest haberi; nemo enim quaerit ingentes acervos mitrum vel stuforum. secus de magna, cuius summa copia quaeritur.

15 Ratione raritatis.

Sextò, Ratione antiquitatis vel raritatis. hæc enim conditio facit nummos pluri æstimari, quàm alioquin valerent.

16 Septimò, Ratione vsus seu expendibilitatis, vt ait Caietanus, vt si in aliquo loco commutes nummos, qui possunt ibi expendi, cum iis, qui non possunt. cum enim non habeant ibidem pretium vt nummi, sed solum vt aurum vel argentum; possunt notabiliter minoris emi, quàm valeant in sua Prouincia.

17 Campfores publici & privati.

Petes, Quid si lege publica cautum sit ne quis præter publicos campfores tale cambium faceret: tenebiturne ad restitutionem qui contra fecerit? Sotus supra putat teneri.

Sed verius est non teneri, non enim tenetur Reipub. cum nihil damni huic sit illatum: neque etiam ei, quicum cambium fecit, quia nulla ei facta est iniuria, cum non plus ab eo sit acceptum, quàm communi campforum iudicio nummi in tali permutatione soleant æstimari.

18 Famulus pecuniam soluendam cum alia commutans.

Ex dictis sequitur, si tradam famulo vel negotiorum gestori mille aureos in auro vt soluat meo creditori, non curans qua specie id fiat, & ille eam commutet contra monetam argenteam cum lucro, eaque soluat creditori retento lucro; non teneri ad restitutionem illius lucri. Ratio est, quia illud lucrum est fructus industriæ, proueniens ex negotiatione pecuniaria, famuli industria & periculo facta; proinde nec mihi domino pecuniæ debetur; (sicut dum fur vel vsurarius negotiatur aliena pecunia, non tenetur domino pecuniæ ad lucri restitutionem) nec etiam meo creditori; quia

hæc species illi non erat debita, & illi integrè alia specie est satisfactum. Si tamen mens mea erat, vt illam pecuniæ speciem meo creditori traderet, eò quòd cuperem illi gratificari, & dare occasionem illa lucrandi; tunc distinguendum est. vel enim creditor illa specie erat lucraturus, vel non erat. si erat lucraturus, tunc famulus tenetur ei de lucro cessante, quanti illa spes lucri æstimabitur, quia hæc species ei erat debita, quam non soluendo, est ei causa iniusta amissionis lucri. si autem non erat lucraturus, sed pretio communi expositurus, ad nihil tenetur; quia etsi iniuriam fecit, speciem debitam non soluens; tamen nihil damni intulit. Sed de his plura supra cap. 20. dub. 18. & 19.

DYBITATIO III.

Verum in cambio locali, quando campfor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari, & quo titulo.

Respondeo, Posse aliquid lucrari, idque variis titulis. est communis sententia DD. Gabrielis d. 15. q. 11. art. 3. dub. 12. Conradi q. 99. Caiet. c. 6. Medina q. 9. de vsura. Nauarr. cap. 17. num. 289. Soti l. 6. q. 10. art. 1. & aliorum.

Primò, Titulo translationis pecuniæ: traicit enim pecuniam, quam hic habes, in locum, vbi optas eam esse, v.g. Antuerpiæ Hispalim; quæ opera in gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis. Nec obstat, quòd re ipsa non transferat, quia eam quasi transfert, faciendo id quòd æquiualeat reali translationi. vnde etiam vsus communis loquendi habet, vt talis pecunia dicatur traicit & transponi. itaque cum æquiualeat eam traiciat, ita vt tibi tantum commodi præstet, quantum si re ipsa transferret, meritò potest pro illo obsequio pretium exigere. sicut nuntius, qui certo pretio pactus est 100. aureos in locum remorum transferre; etsi inueniat hominem, qui accepta hic illa pecunia, paratus sit tantumdem ibi gratis numerare; nihilominus potest accipere pretium translationis, perinde ac si re ipsa transiulisset. quia sua industria præstitit id quòd æquipollet translationi. Nec refert, quòd sine incommodo vllò vel labore hoc fecerit; quia id ipsius industriæ vel bonæ fortunæ assignandum. Idem dicendum de campforibus.

1. Titulus. Translatio.

Notandum tamen, campfores non posse tantum exigere pro hac virtuali translatione, quantum si re ipsa transferrent, sed solum quantum inter ipsos bona fide pro tali obsequio est constitutum: quòd ordinariè est multò minus, quia facilitas operæ & commoditas, quam percipit is qui eam præstat, multum detrahit de pretio, secundum communem hominum æstimationem. sicut enim aliarum rerum pretium ex communi peritorum æstimatione, consideratis omnibus circumstantiis, pendet; ita etiam huius operæ, quam ipsi præstant.

21 Quantitas hoc nomine possint exigere.

Dices Primò, is, qui dat hic suam pecuniam campfori vt eam recipiat Hispali, non intendit conducere operam campforis, sed solum permutare pecuniam quam hic habet, cum ea quam campfor habet Hispali: ergo iste titulus est fictitijs. Confirmatur, quia transfert dominium suæ pecuniæ in campforem: ergo non conducit operam

ram campforis ad illius traiectionem. non enim conducit operam campforis ad illiusmet pecuniam transferendam.

Responsio. 22 Respond. Primò, Negando antecedens: quòd enim intendat operam eius conducere, patet ex forma loquendi; petit enim, pecuniam suam, quam campfori tradit, transponi seu traici Hispali. deinde etsi fortè non semper expressè intendat operam conducere; tamen id implicite & virtute facit, cum tradit pecuniam campfori, cum obligatione vt Hispali tantumdem reddat. hoc enim campfor non potest facere, nisi per realem vel æquipollentem translationem. procurare enim vt reddantur Hispali centum aurei accepti Antuerpiæ, secundum communem hominum æstimationem, est eos virtute & æquivalenter transferre; quia idem commodum præstatur. Denique etiam si concederemus illum solum intendere permutare; tamen campfor poterit suam pecuniam, quam Hispali habet, pluris æstimare; quatenus per illam virtute potest transferre pecuniam, quæ aliis locis est, Hispali: seu quatenus illi pecuniæ inest ea conditio, quæ pecuniis, quas hic accipit, non inest; nempe esse Hispali; pro qua conditione vt inest, dari pretium solet. nam pretio æstimabile est, quòd pecuniam, quam habes Antuerpiæ, possis recipere Hispali, vbi eam optas esse. Et ita si quis attentè consideret, semper implicite videtur contineri in hoc contractu, operarum locatio ad pecuniam transferendam.

23 Ad confirmationem. Non transfertur dominium præcisè ex vi huius contractus; sed tantum permittitur: quia potest campfor illud nolle admittere, integro permanente campforio contractu. quia tamen is, qui pecuniam tradit, permittit illi dominium, potest campfor illud admittere, & vt illa pecunia tamquam sua: nam alteri perinde est, siue vtatur, siue non; modò aliam æquivalentem in loco destinato repræsentet, sicut quando quis tabellario publico tradit pecuniam in alium locum transferendam, conducit ipsius operam: tamen permittit illi pecuniæ dominium: nam perinde est ei, siue eandem numero realiter transferat, siue æquivalenter; quod fit ibidem numerando æquivalentem.

Obiectio 2. Dices Secundò, Pecunia præsens pluris valet quàm absens: ergo si alter intendat commutare præsentem cum absente, non poterit campfor lucrari hoc titulo.

24 Respond. Negando consequentiam: quia quòd pluris valeat, id prouenit ratione commoditatis, quam adfert vtenti, quam non tenetur campfor æstimare; quia non cupit alterius operam, vt pro absente detur ei præsens: sed alter ipsius operam flagitat, vt pro præsentem det ei absentem. vnde potest absentiam suæ pecuniæ æstimare, quia per eam præstat id, quod pretio est æstimabile, leuando illum onere transferendi, eiusque pecuniam æquivalenter traiciendo.

25 Secundus titulus, quo lucrari potest campfor in hoc cambio, est assicuratio. Ita Lopez tract. de cambiis cap. 4. quam sententiam dicit esse inter omnes receptissimam. Probat, quia campfor accipiens hic pecuniam aliò traiciendam, non solum suscipit onus transferendi, sed etiam periculum, vt si pereat, non danti, sed ipsi pereat. atqui præstare periculum traiectionis, est pretio æstimabile; vt patet quando cum nuntio pacificimur

vt pecuniam suo periculo transferat. Nec refert, quòd campfori in pecunia transferenda nullum sit periculum, cum ipse alibi eam paratam habeat; id enim ipsius industria vel fortunæ assignandum. nam satis est, illam obligationem, qua se obligat alteri, vt rem ipsius saluam loco condicto repræsentet, esse pretio æstimabilem; etiam si eam facillimè possit implere.

Ex his sequitur, quòd longius est iter, & quòd maiora sunt pericula, eò amplius ratione assicurationis & translationis posse stipulari: quia eò traiectio pecuniæ, si reipta fieri deberet, esset difficilius & periculosior.

Tertius titulus esse potest, si pecunia sit minoris pretij in loco vbi campfor accipit, quàm vbi restituit. de quo plura dubit. sequenti.

Circa prædicta Notandum est, assicurationem implicite contineri in obligatione transferendi, prout in praxi exercetur. hoc ipso enim, quòd campfor accipit pecuniam vt alibi restituat, censetur eam assicurare; quia acceptat eius dominium, ac proinde non minus se obligat, quàm si eam assicuraret. quare videtur non minus posse exigere pretium, quàm si duplici obligatione se obtringeret, traiectionis, & assicurationis. Verùm non ita est in praxi; quia enim dominium præsentis pecuniæ, quam hic accipiunt, est valde commodum campforibus, idèò communiter parui æstimant illam implicitam assicurationem & traiectionem: neque multum curant, an locus procul absit, an sit propinquus; sintne pericula itinerum, an non. quò fit, vt sæpè is, qui petit pecuniam suam aliò traici, prior tradens, vt postea alibi recipiat, lucretur à campforibus, tamquam ipsemet campforis munus exerceret: qua in re campfores ostendunt se non satis intelligere iustos titulos, ob quos in reali cambio possent lucrari, & sæpè alia quædam spectare, in quibus est magna suspicio vsuræ; quamvis sibi aliqui ex his persuadeant, hoc negotium cambiorum, & iustos titulos, meliùs à se quàm à Doctoribus intellectos. In eo tamen quòd in pretio constituendo non omnes titulos congerant, quos aliquin possent, ostendunt se satis sincerè procedere; nec facile eorum contractus tamquam vsurarios condemnandos, quando pretia communi iudicio, vt passim fit, sunt constituta.

DUBITATIO IV.

Utrum quando campfor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo.

27 Quidam existimant, campforem non posse tunc quidquam lucrari: quia tunc non traicit alterius pecuniam, sed solum dat suam mutuo, vt alibi cum incremento recipiat, quod est vsurarium.

Sed contrarium tenendum est cum communi sententia DD. Ita Conradus supra, Caietanus tractatu de cambiis, cap. 6. Sorus lib. 6. de Iustit. q. 10. art. 1. Nauarr. c. 17. n. 289. Probari id potest, explicando titulos, quibus videtur iuste aliquid lucri in tali cambio exigere.

Primus titulus est virtualis translatio, vel (quod in idem redit) maior æstimatio pecuniæ præsentis quàm absentis. Probat, Primò, Quia

numerando hic pecuniam presentem ei, qui habet absentem, tantum obsequij illi praestat, quantum si pecuniam absentem huc transferret: atqui obsequium translationis est pretio aestimabile: ergo etiam numeratio pecuniae praesentis pro absentem est pretio aestimabilis, quia aequivalet translationi. Secundò, Quia qui petit pecuniam praesentem pro absentem, petit levare onere translationis suae pecuniae in hunc locum; atqui hoc onere levat illum campfor, numerando praesentem, & illud in se suscipit: hoc autem est pretio aestimabile: ergo, &c.

29 *Quomodo transferre censetur.*
Aduerte tamen, quosdam Doctores non admittere hunc titulum in hoc cambio. Primò, quia is qui prior accipit à campfore, ut alibi restituat, videtur potius pecuniam campforis aliò traicere, quam campfor ipsius: ergo illi potius mercedem debet campfor, quam ipse campfori. Secundò, Campfor non potest aliunde huc transferre pecuniam alterius, nisi antea eam acceperit: atqui nondum accepit; ergo, &c. Verùm qua ratione campfor ceteri possit transferre pecuniam alterius, iam satis est explicatum: ideò enim censetur transferre, quia praestat operam aequivalentem, & quia liberat illum onere transferendi. & quamuis alia ratione campforius videatur traicere pecuniam campforis; non tamen ideò campfor ei debet mercedem; quia hanc eius operam non imploravit. Hinc patet responsio ad primum. Ad alterum Respondeo, Non potest eam transferre realiter antè quam acceperit; potest tamen aequivalenter. facit enim id, quod aestimatione aequè valet ac si pecuniam alibi acceptam huc transferret. sicut si petam Louanij vt tabellarius mihi centum aureos Antuerpià huc transferat, & ille mihi numeret eos Louanij antequam Antuerpià acceperit, aequivalenter eos transtulit. Sed etiam si concederemus, campforem non traicere pecuniam alterius in hoc cambio; tamen ex ratione permutationis aliquid lucrari potest: quia pecunia procul absens à loco contrahentium, minoris aestimatur quam praesens: ergo praesens potest cum lucro contra absentem permutari. Antecedens probatur, tum quia absens non praebet ex natura rei eam facilitatem & commoditatem, quam praesens: tum quia absens (quantum est ex uatura rei) sine sumptu & periculis non potest effici praesens. Hinc fit vt etiam merces abentes minoris valeant quam praesentes. Ita docet Siluester, *Vltura* 4. q. 4. versus finem, Caietan. cap. 7. de cambiis. Nauarr. cap. 17. num. 295. & in cap. fin. de vsuris, num. 62. & 63.

30 *Pecunia absens minoris aestimatur.*
Nec obstat Primò, Quòd campfor eam sine periculo & sumptu possit efficere praesentem: tum quia id non semper verum est. nam saepe magnos sumptus & pericula ob id perferunt, & suos factores, quos alibi habent, magna mercede conducunt; tum quia si id ita est, hoc ipsius industriae aut bonae fortunae est acceptum ferendum. satis enim est pecuniam absentem loco, ex ipsa rei conditione minoris aestimari, eò quòd communiter non sine periculis & sumptibus praesens haberi queat.

32 Non obstat Secundò, Quòd interdum campfori commodum sit pecuniam habere abentem, quia hoc non prouenit ex ipsa conditione absentiae per se considerata, sed ex industria campforis; qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere.

vnde non tegetur ideò eam secundum se pluris aestimare. Sicut enim is, cui commodum est reducere equum Louanio Parisios, non tenetur illud commodum aestimare, aut minus pro reductione equi stipulari, si aliquis eius opera in equo reducendo vti velit: ita campfor, cui vtile est, pecuniam, quam dat Hispali, recipere Antuerpià, non tenetur illud compendium aestimare, aut minus pro sua opera exigere, quando aliquis flagitat ad hoc eius industriam.

Ex his patet Primò, Campforem lucrari posse, etiam si vtròque sit idem pretium monetæ, & eadem copia vel inopia; vt docet Nauarr. in cap. fin. de vsuris num. 21. & sequentibus.

Secundò, Possè lucrari, etiam si det ad locum intra idem regnum, vt docet idem Nauarr. c. 17. regnum. n. 290. & Boninignius cap. 7. n. 27. quod est contra Sorum q. 10. art. 1. & q. 13. a. 1. Ratio est, quia sicuti opera, quam praestat transferendo eam de vna Prouincia in aliam, est pretio aestimabilis, ita etiam ex vna vrbe in aliam in eadem Prouincia, vt Antuerpià Insulas, & contra.

Secundus titulus, quo in hoc cambio lucrari potest, est maior aestimatio pecuniae in loco vbi datur, quam vbi redditur, siue ea aestimatio sit intrinseca, siue extrinseca.

Vbi aduerte, duplicem esse pecuniae valorem scilicet aestimationem; altera prouenit à lege vel communi consuetudine, qua pecunia taxatur vt valeat tot vel tot nummos minutos in eodem loco. sic in Belgio regalis aestimatur 10. grossis: philippicus 100. scutum aureum 130. haec potest dici legitima & intrinseca, quia lege constitui solet, (etià consuetudo interdum eam non nihil augeat) & accipitur ex causis intrinsecis; nempe ex conditione materiae & ponderis. Altera est extrinseca & fortuita, proueniens ex causis extrinsecis & fortuitis; ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco; sed respectu rerum venalium in eodem loco, tum respectu pecuniarum, quae sunt in alio loco.

Prouenit autem haec aestimatio ex quatuor causis. Primò, Ratione copiae & inopiae pecuniae. quòd enim in aliquo loco apud mercatores est maior copia pecuniae, eò ipsa est minoris valoris ad res venales praesentes, & etiam ad pecunias distitas (quae tunc rerum venalium rationem subeunt) comparandas: & consequenter pro iisdem mercibus plus pecuniae dandum est, quam dum est inopia; copia enim pecuniae facit pretia mercium crescere: quia pecunia, quae pro illis datur, minoris aestimatur. Pari modo, quò minor est copia pecuniae, eò ipsa est maioris valoris respectu mercium; quia plus mercium eadem pecunia comparari potest. hinc pecuniae inopia facit pretia mercium decrescere; quia pecunia, quae datur, pluris aestimatur. sic ob copiam, in Indiis pecunia minoris aestimatur quam in Hispania, etiam si idem sit pretium legitimum, & in Hispania minoris, quam in Belgio. sicut enim pretia mercium ob copiam decrescunt, & ob inopiam crescunt; ita etiam valor pecuniarum omnium. Secundò, Prouenit haec aestimatio ratione maioris vel minoris multitudinis petentium ad cambium. sicut enim multitudo emporum facit vt crescant pretia mercium; ita etiam multitudo petentium ad cambium, facit vt crescat valor pecuniae campforis,

33

Intra idem regnum.

34 *Titulus. Maior aestimatio pecuniae.*

Duplex pecuniae aestimatio, intrinseca, extrinseca.

35 *Prouenit aestimatio extrinseca ex 4. causis.*

siue ea sit praesens, siue absens. Tertio, Prouenit ex multitudine vel paucitate dantium ad cambium; quod enim sunt pauciores qui velint dare ad cambium, eò pecunia campforis pluris aestimatur, sicut quod pauciores sunt venditores, eò merces pluris aestimatur. Quarto, Ex necessitate pecuniae: vt si Principi ingentes summae pro bello vel alia causa publica sint corrogandae, vel ingens copia mercium offeratur venalis, quod enim pecunia est magis necessaria ad quosdam vsus magni momenti, eò pluris aestimatur respectu aliarum rerum venalium.

36 *Ob vtramque estimationem potest lucrari.* His positis, Dico, Ratione vtriusque estimationis posse campforem aliquid lucrari. Primo, Ratione estimationis intrinsecae: vt si det 100. aureos Antuerpiae, vt recipiat Hispali, debet Hispali accipere plus quam 100. quia Antuerpiae habent maiorem estimationem legalem: plus enim est Antuerpiae habere 100. aureos quam Hispali. vnde vt fiat aequalitas, debet Hispali plus recipi quam 100. quod si det Hispali vt recipiat Antuerpiae, non poterit Antuerpiae accipere tantumdem pecuniae, sed minus, seposito pretio traiectionis, & carentia suae pecuniae: quia alioquin non esset dari & accepti aequalitas in estimatione, quae in omni contractu est seruanda; addito tamen pretio cambij & carentiae pecuniae, raro fit vt minus accipiant. Secundo, Ratione estimationis extrinsecae seu fortuitae lucrari posse, patet; quia sicut merces ratione paucitatis & necessitatis, ratione multitudinis petentium & raritatis venditorum, pluris valent & emi debent quam alias emerentur; ita etiam pecuniae praesentes ob haec quatuor causas pluris valent, tum ad merces, tum ad pecunias absentes comparandas, quam si istae causae abessent. nam pecuniae absentes se habent instar mercis respectu praesentium, vt recte docet Caietanus cap. 7. & Nauar. num. 291. Siluest. V supra 4. q. 8. §. 1. & alij. non enim habent pretium legitimum, nisi respectu monetarum eiusdem loci:

Pecunia absens est mercis instar.

38 Princeps enim sua lege & populus communi consuetudine non intendit eis imponere pretium respectu monetarum, quae sunt in aliis locis; sed tantum respectu monetarum eiusdem loci. quare respectu pecuniarum dislitarum, relinquuntur pretium imponendum iudicio mercatorum & eorum qui sic negotiantur. quod cum sit vulgare, non consistit in indiuisibili; sed habet latitudinem pretij infimi, medij, & summi. itaque possunt emi & vendi sicut alia merces, secundum hanc triplicem estimationem, quam petiti illius negotiationis bona fide imponunt.

39 *Ratione triplicis tituli.* Ex his patet, campfores interdum simul lucrari triplici titulo; videlicet traiectionis, & duplicis valoris explicati: tamen potissimum solent respicere ad valorem extrinsecum, & ratione huius lucrari. vnde semper inquirunt, vbi sit futura penuria vel necessitas pecuniae, vt ibi dare possint, & recipere vbi est vilitas & copia.

40 *An possit lucrari ratione vtriusque tituli.* Dices, Si campfor velit lucrari ratione traiectionis pecuniae, non videtur posse simul lucrari ratione maioris valoris; & contra, si velit ratione valoris, non potest propter traiectionem; cum enim dat tibi 100. aureos Antuerpiae, recipiendos Hispali, traiecit pecuniam tuam Hispali Antuerpianam, vbi pluris incipit valere: atqui hoc incrementum est tuum, non campforis: ergo non debes ei aliquid ratione maioris valoris: vel si des

ratione valoris, eò quod pecunia, quam ipse dat, pluris valet quam tua; non poterit quidquam exigere ratione traiectionis, quia non traiecit pecuniam tuam.

Ob hoc argumentum Sorus q. 12. art. 2. docet, campforem, dum lucratur ratione maioris valoris, non posse simul lucrari ratione traiectionis.

Sed contrarium docent reliqui Doctores, & Probatur Primo, Quia sunt distincti tituli pretio aestimabiles. Secundo, Si pecunia vtrouique haberent aequalem valorem, nihilominus posset aliquid lucrari ratione traiectionis; seu quia pecunia absens minoris valet quam praesens, vt supra ostensum est.

Quare Respondeo ad argumentum, Campforem non transferre realiter pecuniam tuam in specie; (tunc enim non posset petere nisi pretium translationis & assicurationis; sicut baiulus) sed transferre illam secundum aequiualentiam, dando tantumdem de suo. vnde debes ei reddere aequiualens alibi, & pretium translationis.

Tertius titulus est, ratione lucri cessantis, vt si pecunia, quam tradidit ad cambium, erat destinata, maior lucri, ita vt (deducta estimatione laboris, expensae, & periculi) illa spes lucri maioris, pluris valeret quam commune lucrum cambij; tunc enim posset illud incrementum exigere. nam sicut in aliis contractibus potest haberi ratio lucri cessantis, vt te indemnem serues; ita etiam in contractu cambij. Pius V. tamen vetuit, ne illud ab initio definieretur, & in pactum deducatur, sed solum ex eventu secuto constituantur.

Quartus titulus esse potest Carentia pecuniae suae, & id quod huic carentiae est coniunctum, nempe periculum ne non restituantur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiandi: magni enim aestimant omnes mercatores & campfores, quod ad vnum, duos, vel tres menses cogantur carere sua pecunia; idque tum ob periculum, cui exponitur; tum quia interim priuantur commoditate per illam aliter negotiandi. vnde in omnibus cambiis, quod longius est tempus in quod eam concedunt, eò plus exigunt lucri, & quo breuius, eò minus. Atque hic est potissimus titulus, quem mercatores in cambiis hoc tempore spectant, vt ipsimet discretim fatentur: addentes, omnia cambia huius temporis iniqua esse, si hic titulus non sit iustus. parui autem aestimant traiectionem, quantumvis locus distet, quia in re non videntur prudenter facere; nam reuera hic titulus est praecipuus in cambio reali; ob hanc enim causam sunt cambia introducta. Secundo loco aestimant valorem pecuniae extrinsecum, qui ex copia & inopia pecuniae, & similibus causis prouenit. vtrum autem titulus iste quartus excusari possit, dicemus dub. 6.

Ex dictis patet, quid dicendum sit ad speciem facti, quam Sorus l. 6. q. 12. art. 2. proponit, cuius aequitatem se ignorare fatetur. Tempore enim Soti, si campfor Metinae accipiebat prior, restitutus in Flandria, lucrabatur in singulos aureos 50. dupondia, seu maravedinos: si vero prior dabat in Flandria, recepturus Metinae, lucrabatur 70. vel 75. cum tamen videatur non debuisse lucrari nisi 50. tunc enim tanti valebant in Flandria 360. maravedini, quanti Metinae 400. vnde prior accipiens Metinae, vt in Flandria restitueret, poterat accipere 400. qui valore aequantur 360. in Flandria reddendis; & praeterea 10. in pretium traiectionis.

traiectionis, & ita lucrabitur 50. Verum non apparet ratio cur in Flandria prior dans 360. possit Metina recipere 430. cum non possit Metina plus accipere, quam ipse ibidem solet dare pro 360. Flandricis.

45 Sed dicendum est, quod quando accipit prior Metina, tunc solum lucratur ratione diuersae aestimationis pecuniae & ratione traiectionis. ratione diuersae aestimationis, accipit 400. maravedinos Metina, pro 360. in Flandria. nam haec duae summae sunt valore aequales, ad diuersa ista loca comparatae. ratione autem traiectionis accipit adhuc 10. & sic lucratur 50. accipit enim 410. maravedinos, & reddit solum 360. tunc enim dicitur lucrari, quando plus materialis pecuniae accipit, quam dederit; etiam illud plus non pluris aestimetur illo loco, quam istud minus hoc loco.

46 Si vero prior det, idque in Flandria, tunc solum dat 360. maravedinos, & Metina recipit post duos menses 430. vel 435. sicque lucratur 70. vel 75. 400. enim accipit ratione diuersi valoris; cum 400. Metina non pluris valeant quam 360. in Flandria. praeterea accipit 10. ratione traiectionis, & 20. reliquos ratione carentiae pecuniae, eod quod prior det, & debeat per duos menses sua pecunia carere: hunc enim titulum maxime aestimant. Sed hoc lucrum reuera est nimium, & excedere videtur metas iustitiae; nec quisquam est, qui hoc tempore tantum lucratur. duobus enim mensibus lucratur 20. in centum; nam in singula scuta lucratur 75. maravedinos. Quod si prior det Metina 410. maravedinos, non recipiet in Flandria solum 360. ut quidam putant; (sic enim nemo unquam campfor velle pecuniam suam dare; nam amitteret 50. maravedinos in singulos aereos) sed tanti aestimabit carentiam pecuniae duorum mensium, ut ei in Flandria sint restituendi 410. vel circiter.

DVBITATIO V.

De praxi cambiorum, quae hoc tempore viget.

47 **U**T haec praxis intelligatur, tria potissimum sunt consideranda: persona, quae ad cambium concurrunt: nummi, secundum quos cambium ad varia loca reguntur: & variatio pretiorum, secundum longius vel breuius tempus.

48 **Q**uod ad primum attinet, regulariter quatuor personae requiruntur ut contractus cambij sit perfectus, campfor, campfarius, respondens campforis, & respondens campfarij. dum enim campfor alicui pecuniam numerat, accipit vicissim ab illo obligationem de pecunia illa alibi soluenda: & hanc transmittit ad suum respondentem, ut ibi eam recipiat: & campfarius similiter scribit ad suum respondentem, ut ibidem soluat. si hic accipiet, & soluat respondentem campforis, iam perfectum censetur primum cambium. saepe tamen fit, ut respondens campfarij non soluat respondentem campforis; sed tradit illi obligationem tamquam ab eo accepisset ad cambium, quam illa remittat ad campforem; & simul scribit ad campfarium, ut soluat campfori recambium. quod si respondens campfarij soluat reipla; tunc respondens campforis dat eandem pecuniam ali-

cui alteri ad cambium, & acceptam ab eo obligationem mittit ad primum campforem. & sic semper redit cum luero. campfor tamen ordinarie scire non potest quantum lucratur, nisi dum pecunia per secundum vel tertium cambium, tandem ad ipsum redit. Interdum fit ut campfarius non habeat respondentem in loco ubi pecunia est restituenda, sed campfor assignat ei suum respondentem, qui accipiet debitum, & sibi soluat, quatenus diuersas personas repraesentat, seu diuersa officia subit: hic rursus obligationem scribit, tamquam ipse ad cambium acceperit, eamque transmittit ad primum campforem, ut a campfario solutionem accipiat, cum pretio cambij & recambij. quotiescumque autem fit solutio, respondens campforis detrahit ex tota summa suas prouisiones, (quas vocant) id est, mercedem sui laboris, quae sunt bini vel terni aurei in singulos millenarios. Vtrum autem haec sint iusta, patebit ex dub. 7. & 8.

De secundo, Vario nummorum genere cambium reguntur ad varia loca; quod ut intelligatur, explicabo quo modo id fiat Antuerpia ad loca praecipua Europa. Igitur Antuerpia ad pleraque loca reguntur grossis: nam campfor pecuniam Antuerpia numerans, certo numero grossorum Flandricorum intendit emere ducatum, qui est in Italia vel Hispania; aut coronatum, qui in Gallia; aut florenum, qui in Germania, &c. Exempli gratia, anno 1600. 7. Decembris cursus cambiorum Antuerpia erat talis: Antuerpia Venetias dabat campfor 91. grossos & tres quartas, ut Venetis reciperet unum ducatum intra mensem a contractu inito; qui ducatus Venetis aestimatur in Banco, id est, apud trapezitas 124. solidis seu piccolis Venetis. hoc enim intelligunt Venetis per ducatum; dum agitur de soluendis cambiis. Antuerpia Mediolanum dabat 105. grossos & medium, ut Mediolani reciperet ducatum post unum mensem. hic ducatus aestimatur 5. libris & 16. solidis. Florentiam dabat 110. grossos & medium, ut ibi reciperet ducatum intra mensem. Madritum dabat 106. grossos, ut Madriti unum ducatum intra duos menses reciperet. Hispalim 105. grossos & medium, ut Hispali intra duos menses ducatum reciperet.

Vlissiponem 101. grossos, recepturus ducatum. Vbi aduerte, in Lusitania per ducatum intelligi 10. regales, quando de cambiis agitur; in Castella & reliquis Hispaniae locis 11. regales.

Antuerpia Vefuntium, cambium agitur grossis & coronatis. campfor enim Antuerpia dabat 120. grossos & medium, recepturus Vefuntij in proximis nundinis unum coronatum Francicum, vel eius valorem. celebratur hic nundinae quotannis quater, etsi exiguo concursu, nempe circa Pascha, in Augusto, circa festum omnium Sanctorum, & circa festum Epiphaniae.

Lugdunum 117. grossis, pro coronato, Lugduni proximis nundinis recipiendo. aguntur & hic quater nundinae, quae 14. diebus nundinas Vefuntinas praecedunt.

Parisiis & Rotomagum 119. grossis & medio, pro coronato illis locis intra mensem recipiendo.

Antuerpia Francofurtum regitur grossis & florenis Germanicis. dabantur Antuerpia 76. grossi pro floreno Germanico, Francofurti proximis nundinis recipiendo. aguntur hic binae nundinae celeberrimae, in Septembri & circa Pascha. Flore-

nus Germanicus Francofurti in solutione cambiorum valet 65. critteros; ad rationem monetæ Belgicæ panè grossos 80. Antuerpiâ Hamburgum agit grossis & daleris. Londinum scellings & libris Anglicanis. Coloniam libris Flandricis. dantur enim Antuerpiæ 100. libræ vt Coloniam recipiantur 102. libræ monetæ ibidem vsitata; idque intra duos, 3, 4, 6, 8, 10, vel 20. dies post litteras exhibitas, prout conuentum fuerit.

⁵² *Pretium cambiorum.* Quod ad tertium attinet, Quandocumque mercatores cambia sua dirigunt secundum nundinas, tunc quò longius absunt nundinæ, eò maius faciunt pretium cambij; ac proinde eò minus dant pro pecunia, quàm alibi sunt accepturi: quò verò propius absunt, eò minus est pretium; ac proinde eò plus dant pro pecunia, quàm alibi sunt accepturi; ita vt sæpè non lucentur, si nundinæ sint valde vicinæ: quod an iustè fieri possit, dicemus dubit. seq. Hæc de praxi.

DUBITATIO VI.

Vtrum cambium Francofurtense & similia, in quibus pretium variatur pro maiore vel minore temporis intercedente, sint licita.

⁵³ *Nundinæ Francofurtenses.* Notandum est, Francofurti binas quotannis agi nundinas, alteras circa Pascha, alteras in Septembri: in quibus fiunt solutiones cambiorum: reguntur autem hæc cambia florenis Germanicis & grossis Flandricis, vt dictum est. Nam qui dant Antuerpiæ ad cambium, vt recipiant Francofurti, certo numero grossorum emunt florenum Germanicum, & contra qui Francofurti dant, vt Antuerpiæ recipiant, floreno Germanico emunt certum numerum grossorum. In pretio autem ferè seruatur hæc ratio: Si Antuerpiæ campfor quinto mense ante nundinas pecuniam numerat, solum dat, v. g. 73. grossos pro floreno Germanico. si quarto mense numerat, solum dat 74. si tertio 75. si secundo 76. si vno dumtaxat ante nundinas 77. vel circiter. In nundinis autem recipiunt florenum Germanicum, æstimatum ibidem 79. vel 80. grossis; vel Antuerpiæ suas obligationes seu litteras cambij aliis vendunt; ita vt 4. vel 6. grossos in singulos florenos Germanicos lucentur. Similis ferè ratio seruatur, quotiescumque datur cambium ad loca, vbi celebrantur nundinæ; quò enim longius absunt nundinæ, eò campfores minus dant, & plus recipiunt: & contra quò sunt propinquiores, eò plus dant & minus lucentur.

⁵⁴ *Ratione temporis.* Respondeo & Dico Primò, Pretium cambij non posse variari ratione solius temporis longioris vel breuoris. Ratio est, quia in cambio non requiritur temporis interuallum, nisi quatenus id necessarium ad translationem litterarum, & ad præparationem solutionis, vt ea commodè in loco distanti fieri possit: ergo si plus temporis concedatur ad solutionem, id non fiet ex vi contractus cambij, sed taciti cuiusdam mutui: atqui in mutuo aliquid exigere ratione temporis longioris, est vsura. ergo.

⁵⁵ *Alia causa probabilis.* Dico Secundo, Possè hoc pretium ob alias causas iustè variari, quas cum valde probabile sit in casu proposito iubesse, probabile etiam est hanc

variationem pretij iustè à mercatoribus constitui; ac proinde tale cambium licitum esse. Prior pars patet ex dictis dubit. 3. & 4. Altera verò, quòd hæc causæ reperiantur in hoc cambio, Probatum Primò, Quia ordinariè campfores pluris æstimant carere pecunia sua quinque mensibus, quàm quatuor, & carere quatuor, quàm tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illà pecunià, partim quia diutius versatur fors in periculo. vnde hæc æstimatio non est irrationalis; nititur enim iusta ratione, idque ex communi mercatorum & campforum iudicio. Secundo, Quia quò plures sunt menses ante nundinas, eò plures petunt pecuniam à campforibus, vt diu pretio frui possint: atqui quò plures sunt petentes, eò magis crescunt pretia cambiorum. Hæc causa quibusdam videtur sufficiens ad inducendam tantam pretij variationem. Tertio, Si non concederetur plus temporis, quàm natura vnus cambij postulet; qui pluribus mensibus egent pecunià, deberent sapius ad cambium petere, cum magno suo damno & incommodo, quòd considerantes campfores concedunt longum tempus, vt in vno cambio, virtute comprehendant plura cambia, quæ ipsi interim facerent cum iisdem campfariis, si solum tempus præcisè necessarium ad translationem concederetur: & hoc cedit in commodum campfariorum, qui longè minus soluunt, quàm si tot cambia coggerentur facere. causa igitur, cur quò tempus longius est, eò maius pretium statuatur, est, quia eò plura cambia virtute censentur fecisse. Hæc ratione vir quidam doctissimus illam pretij variationem excusabat; mihi quæ probatur: præsertim accedente etiam prima & secunda causa.

⁵⁷ *Instrum. 216. tit. 11.* Confirmatur, Quia iustum pretium censetur in quoque foro, quòd periti illius negotiationis bona fide, consideratis omnibus circumstantiis, imponunt, & quo inter se contrahendo vtuntur, nemine contradicente vel conquirente. atqui periti campfores & mercatores, omnibus consideratis, sic pretia variant, & sic inter se contrahunt, nemine conquirente; ergo hæc variatio non est censenda iniusta.

Ex his patet, talia cambia non esse damnanda; præsertim cum omnes passim illis vtantur: inter quos multi viri probi & conscientiæ religiosi; qui si iuberentur abstinere, soli laxiores religiois, quò fieret vt pretia cambiorum istorum cum magno Reipublicæ incommodo valde incenderentur. neque enim vnquam obtineri poterit, vt mercatores non pluris æstimant concessionem longi temporis, quàm breuis.

⁵⁸ *Si alij contractus minoris m. secantur.* Ex hoc & supradictis dubiis facillè intelligi potest, quid dicendum sit de cambio, quando et impletur alia species contractus, & nominatim de quodam contractu, quem mercatores Antuerpienses sæpè cum Rege inierunt. de quo ab hinc 18. annis ab eis consultus fui. Dabant Regi Antuerpiæ ad bellicos, vsus centum millia aureorum, octoginta duo millia in pecunia, & 18. millia in pannis, dimidio tamen supra iustum æstimatis. Nam quòd valebat duobus, æstimabant tribus. vnde cum pannus totus valeret solum 12000. aureorum, æstimabant 18000. Porro ipsi in Hispania intra duos menses accepturi erant 100000. aureorum in pecunia.

Respond. Primò, Hunc contractum videri sic conceptum, vt fraus fieret militibus: ideo enim totum

totum onus cambij videri reuolui in pretium panni, vt in solutione stipendiiorum, militi p annis æstimetur quasi tenera tanti valeretur. Verum quia solutio ista non fit à mercatoribus, sed ab officialibus regis, non est hæc iniuria mercatoribus imputanda, si huius consilij causa non sint. Si tamen possent eam absque suo incommodo impedire, incundo aliam speciem contractus, tenerentur ex charitate.

Secundò, Hunc contractum non videri illicitum, nisi forte sit excessus in lucro. continet enim tres contractus; per quos si seorsim ad tantum lucrum perueniri potest, potest etiam per eosdem vitos, dantur enim 82000. ad cambium, & venditur pannus valens 12000. & hoc pretium implicite datur ad cambium in locum distitum, nam pretium panni soluendum est in Hispania post bimestre. Itaque si cambio 82000. Antuerpiã in Hispaniam, & venditio illius panni, & cambio pretij illius, tantum à Rege lucrari potuissent, contractus est iustus. (quæ enim seorsim iusta sunt, etiam iunctim.) Nec obstat, quòd videantur pannum vendere supra iustum pretium; quia in eo pretio comprehendunt pretium cambij expressi 82000. & taciti 12000. Neque proprie est venditio; sed contractus innominatus, do vt des, comprehendens virtute plures contractus nominatos. Si verò non potuissent tantum exigere seorsim, contractus est iniquus, & tenentur ad restitutionem excessus. Et sanè lucrum videri possit excessiuum: nam in effectu non dant nisi 94000. aureorum, & recipiunt 100000. vnde intra bimestre lucrantur sex in 100. & consequenter, dum illum contractum quoque bimestri repetunt, lucrantur 36. in centum intra vnum annum. Accedit, quòd hac ratione vendant magnam vim mercium, quod commodum etiam est pretio æstimabile. Ad hæc respondent ipsi, se tantam vim pecuniæ sine magnis sumptibus, laboribus & periculis non posse conquirere, cum eam vel ab aliis cum graui interesse debeant accipere, vel etiam ex Italia & Hispania per mulos cum magno periculo curare deferri. Deinde in contractibus cum Regibus magna esse pericula; soluere enim illos quando volunt, & facile antiquos contractus, si per eos læsi videantur, reuocare. Quod ad pannum attinet, ideò se hunc inferere summæ, quòd id fiat sine vllò Regis incommodo: & quòd ipsi tantam vim numeratæ pecuniæ non possint assidue habere paratam. Quòd autem lucrum videatur magnum, id fieri ob crebram eiusdem contractus repetitionem. Verum vtrum lucrum sit moderatum, an modum excedens; non est Doctorum determinare, sed proborum virorum in arte illa peritorum. Hoc tantum affirmo, hunc contractum ex forma sua iniquum non esse.

DUBITATIO VII.

Vtrum cambium Besuntinum sit licitum.

59 **N**otandum, nomine cambij *Besuntini* intelligi proprie quod ad urbem Besançon traicitur, vbi non est frequentia mercatorum aut mercium. quidam nunc vocant *Placentinum*, quòd ad eam quoque urbem frequens datur. Generatim tamen intelligi potest omne cambium, quod dirigitur ad locum, vbi camparius nec vllam pec-

uniam, nec vllum respondentem, nec fidem habet; sed rogat campforem, & ipse nomine eius aliquem, qui respondeat, procuret, vel ipse per suum factorem respondeat; qui postea eandem pecuniam per recambium remittit, vt ita fiat solutio cambij & recambij, in loco, vbi fuit primò accepta. tale est cambium, quod maximè in illas vrbes à Genensibus & aliis dicitur celebrari.

Quidam Doctores sentiunt, tale cambium non esse contra iustitiam, si bona fide iustum pretium, quantum fieri potest, constituitur. Ita responderunt in quadam consultatione sex viri doctissimi in Lusitania. & tenet Siluester v. Vtura 4. qu. 9. dicto 6. & Nauarr. l. 5. consilio 1. titulo de vsuris. & in Enchirid. cap. 17. n. 289. & 301. & Thomas Boninfignius cap. 7. de cambiis num. 7. 8. 9. Quæ sententia probari potest Primò, Quia si hoc cambium esset iniustum, id ideò esset, quòd camparius non habeat pecunias eo loco, vbi soluendum est: atqui hoc non obstat, quia non requiritur vt actu ibi habeat, sed sufficit vt habeat in credito apud amicum, vel vt facile possit habere correspondentem, qui eas ibi det mutuo, vel ad cambium; vt rectè docet Nauarr. in Enchirid. cap. 17. num. 289 & 301. & in Consilijs, loco citato: hoc enim sufficit vt fiat cambium verum & reale, non fictum: atqui iste hoc pacto facile potest sibi habere pecuniam & respondentem: ergo ex hac parte non est iniustum; nec enim tunc vera emptio vel permutatio pecuniæ, quam camparius ibi habet, vel habiturus est per mutuum, vel per aliud cambium reale.

Dices Primò, Non habet ibi alium respondentem, cui debitum traiciat, præter respondentem camporis: atqui hoc perinde est ac si ipse campor responderet: quod videtur fieri in fraudem vsurarium.

Respond. Si campor illum cogeret vt suo respondententi traiceret debitum, id iniquum foret; (quia præter naturam contractus nemo potest obligari) sed campor id ei relinquit liberum. quòd si ipse sponte petat à campore sibi aliquem respondentem dari, certè nulla fit ei iniuria. sicut enim quibus alius (qui conditò tempore ibi potest soluere) potest ei respondere, debitumque acceptare; ita etiam is, quo ipse campor vitur, ibi potest hoc munere fungi.

Dices Secundò, Saltem hoc non licebit, quando respondens camporis, cui creditum transmittitur, est famulus, vel merus executor camporis: nam tunc censetur vna persona cum campore; ac proinde dum ipsi debitum traicitur, ipse sibi solueret; quæ solutio videtur fictitia & imaginaria.

Respond. Non esse imaginariam solutionem; potest enim vnus idemque, quatenus subit diuersas personas, seu officia, sibi ipsi soluere, sibi que esse creditor & debitor.

Vbi Aduerte, campforem hinc subire duas personas, nempe camporis, quatenus hinc dar ad cambium, & transmittit creditum ad suum respondentem: & camparij, quatenus nomine eius traicit debitum in eundem suum respondentem: hoc enim ad officium camparij pertinebat. Similiter respondens duplex officium præstat. Primò, Quo creditum acceptat, estque respondens camporis. Secundò, Quo debitum acceptat, estque respondens camparij, soluturus sibi ipsi tamquam respondententi camporis. nihil enim

refert ad iustitiam contractus, siue hæ personæ sint diuerse, siue eadem; modo id in arbitrio eius, cuius interest, relinquatur. nam etiam in mutuo ipse mutuans potest esse fideiusor, seu assuretor, ita volente mutuatario, vt ostensum est c. 20. dub. 11. vnde fieri potest, vt campfor subeat officia quatuor personarum, si videlicet respondens sit eius famulus, vel collega in societate; nam socij omnes sunt instar vnus personæ.

64
2. Probatio. Secundo, Probari potest, quia si tu à mercatore petas mutuum, & ille dicat se non dare mutuum, sed esse paratum vendere pannum creditò, quem ipse præsentem pecunia illi vel alteri reuendas, non peccat contra charitatem, vt ostensum est cap. 21. dubit. 16. Similiter si dicat se esse paratum emere præsentem pecunia si quid habeas hic vel alibi venale, & si nihil habeas, offerat tibi merces (quas alibi habet vendendas) creditò, iuxta communem æstimationem; quas paratus est, si velis, præsentem pecunia redimere. Atqui hic contractus est similis illi, de quo agimus, in quo dicit campfor se nolle mutuare; sed esse paratum emere pecunia præsentem tuam pecuniam absentem, quam habes v.g. Beuntij; & si ibi non habes, nec potes habere per alios; paratus est tibi creditò ibi vendere, & præsentem pecunia eandem emere.

65
Obiectio- nes. Dices Primò, Iste non liberè, sed coactè accipit tale cambium; atqui coactio, seu inuoluntarium, irritat contractum; ergo hoc cambium est iniquum.

Resp. esse hic sufficientem libertatem vt validus sit contractus; quia absolute, liberè & voluntariè contrahit, & quamuis ex parte faciat inuoluntariè, (quia mallet alia ratione pecuniam consequi) tamen quia per iniuriam ad hunc modum contrahendi non compellitur, non obest hoc inuoluntarium. multi enim valdè inuoluntariè res suas vendunt; quia tamen per iniuriam ad hoc non coguntur, venditio est valida. Idem dicendum de aliis contractibus. Pactio autem vsurarum non ideo est irrita, quia inuoluntaria; sed quia mutuatarius non intendit transferre vturas, nisi quatenus eas iure debet pro vsu pecuniæ, vt dictum est cap. 20. dub. 18.

66 Dices Secundò, Pretium in hoc cambio semper est iniustum; ergo & ipse contractus iniquus est. Antecedens probatur, quia pecunia, quam campfarius vendit, campfori plus valet, ob sumptus quibus eam comparare debet. sicut merces maioribus laboribus & sumptibus comparatæ, plus valet, v.g. frumentum aduectum ex Sicilia Romam, quam in agro Romano natum.

Resp. Quando merces secundum se habent communem æstimationem, non ideo plus valent, quòd maioribus sumptibus sint comparatæ, vt dictum est supra cap. 21. dubit. 4. atqui pecunia illa habet suam æstimationem communem in illo loco, ad quem cambium mittitur, vt patet; alioqui sequeretur, si aliquis comparasset 100. vlnas panni, maiori pretio, non posse eas emi pretio infimo corrente; quòd est contra communem sententiam. nec est simile de frumento: quia Siculum melius est Romano. quòd si non esset melius, possem illud emere eodem pretio quo vulgò venditur Romanum.

67 Dices Tertio, Hoc cambium videri siccum, & verum mutuum: quia litteræ remittuntur inanes: vnde eodem loco, vbi pecunia accepta est, reddi-

tur campfori cum lucro, quòd lucrum non videtur exigi, nisi ratione dilationis.

Resp. Non esse siccum; nam litteræ per quas fit, verè mittuntur, & virtute earum fit vera solutio in loco destinato; non enim est necesse pecuniam reipsa ibi numerari, sed sufficit ipsam ibi esse, & debita creditaque per chirographa transferri: (qui modus solutionis est vsitatissimus inter mercatores) ita vt sit aliquis qui acceptet debitum, & aliquis qui acceptet creditum; siue vnus idemque vtamque obligationem & functionem subeat, siue diuersi; hoc enim non mutat rei iustitiam. vnde verum non est, litteras redire inanes: nam alia remittuntur, quibus fit recambium.

Vt explicem quid de hac sententia sentiam, 68 Dico Primò, Si is qui petit à campfore, non sit habiturus pecunias alibi actu vel potestate, seu in credito, idque campfor noit; contra iustitiam peccat, si ei ad illum locum cambiat. est communis sententia Doctorum; Siluestri, Vtura 4. qu. 9. Nauarri c. 17. nu. 289. & 299. Thom. Bonintignij c. 7. Ratio est, quia dare ad cambium, vel est permutare pecuniam præsentem cum absente, vel est pecuniam absentem emere, aut transferre: atqui hic non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campfore, vel permutari cum pecunia præsentem: est ergo emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde proueniens caret iusto titulo. sicut si quis emeret boues ab aliquo qui nullos habet, eosque illi certo pretio locaret, lucrum illud esset iniustum; quia nulla hic est locatio, sed solum fictio locationis.

Aduerte tamen, si campfor bona fide ad cambium dederit in certum locum, putans alterum ibidem habere pecuniam, aut habiturum; potest, vbi rescuerit fraudem, illum cogere vt contractum impleat, & ibi soluat: quòd si alter nolit illic soluere, poterit campfor repetere sortem & pretium cambij in loco vbi dedit; & interesse, quòd patitur ex eo, quòd loco constituto solum non sit. Ratio est, quia cum ipse bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantum potest; vel soluere quantum intererat campforis eum impleri. alioquin contractus semper pateret fraudibus; & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi.

Dico Secundò, Si is qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicum vel alium, qui non sit in ministerio vel societate campforis, non peccabit contra iustitiam campfor, si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum. fieri tamen potest vt peccet contra charitatem proximi. Prior pars patet, quia ex iustitia non tenetur ei dare mutuum, sed potest nolle ei dare pecuniam, nisi aliquid emendo iusto pretio: atqui pecunia illa, quam iste habere potest alibi, est pretio æstimabilis; ergo etsi campfor nolit ei dare pecuniam, nisi emendo talem pecuniam absentem, non peccabit contra iustitiam. sicut si nolit ei dare pecuniam, nisi emendo domum, vel agrum, vel equum, non facit ei iniuriam.

Alter pars patet; vt si proximus sit pauper, & in aliqua graui necessitate constitutus: nam contra charitatem est, compellere hominem tenentem hic egentem pecunia præsentem, vt alibi, vbi non eger, cum magno suo damno eam procuret. vt enim campfarius ei, qui alibi pro se respondit, satisfaciatur, cogitur ibi facere recambium; & sic in loco, vbi

vbi accepit, soluere pretium cambij & recambij, grauissimo suo incommodo.

71
Probabile est non esse contra iustitiam.

Dico Tertio, Si is qui petit à campfore, non possit habere alium qui ipsius nomine satisfaciat in loco condicto, quam ipsum campforem, vel socium eius cui pecunia in loco illo est numeranda; probabile est, esse contra iustitiam tunc ad cambium dare. Contraria tamen sententia non est improbabilis, & speculatiue verior; tamen omnino diuadenda, nec facile permitienda. Prior pars probatur, quia ita tenent multi DD. videtur enim esse mutuum palliatum. intentio enim non videtur esse alia, quam dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco restituarur; cetera videntur agi non serio, sed tegendi mutui causa. Secunda pars probatur rationibus supra allatis. suppono autem serio agi, ita vt si factor campforis, qui respondet pro campfario, fugeret vel decoqueret, campfor non sit habiturus directam & nomine suo actionem in campfarium. nam hoc ipso, quo acceptata est obligatio respondentis, liberatur campfarius; ita vt campfor in illum agere saltem suo nomine non possit: quod maxime locum habere debet, quando factor campforis respondet. potest tamen ei competere actio indirecta, nomine sui debitoris.

72 Tertia pars patet, tum quia saepe est contra charitatem; tum quia inducit praesumptionem Iuris & de Jure, vsurarium; vt patet ex Bulla Pij V. de cambiis. vnde talis in foro externo posset plecti tamquam vsurarius.

DUBITATIO VIII.

Utrum prouisiones, quas solent campfores & bancarij accipere, iuste accipiuntur.

73
Prouisiones.

Notandum est, nomine prouisionum significari mercedem & lucrum, quod campfores & bancarij detrahunt pecuniae numerandae, ratione operae, quam praestant scribendo, numerando pecuniam, soluendo pro alio, litteras mittendo, pecuniam depositam custodiendo, pro alio se obligando, alterius negotia expediendo. Itaque possunt hic interuenire varij tituli, de quibus seorsim dicendum.

74
Pro custodia.

Dico Primo, Campfor vel nummularius, qui pecuniam mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam, cum obligatione eam reddendi, quando & cui voluerint depositores, potest accipere iustam mercedem pro hac custodia & obligatione, si de ea ante stipulatus fuerit; vel si ex consuetudine dari soleat. Ratio est, quia tale obsequium in gratiam alterius praestitum, per se est pretio aestimabile.

Dixi, Si ante stipulatus fuerit, &c. quia alioquin non censetur locasse operam suam pretio; sed gratis, vt vsu pecuniae frueretur: vel accepisse eam mutuo. nam depositores ordinariè nihil dare solent, cum bancarij libentissime gratis hoc onus suscipiant, ob commodum quod illis inde prouenit.

75
Quando incrementur bancarij, & quando depositores.

Vbi Aduerte, fieri interdum posse, vt bancarij lucentur; vt si nolint pecuniam suscipere custodiendam, nisi certo pretio operam suam ad hoc elocando: quod possunt facere, etiam si ex vsu pecuniae interim magnum quaestum capiant: ceterum

enim permittatur illis vsus pecuniae, tamen pretio aestimabile est, quod obligent se ad pecuniae custodiam, & ad eam restituendam, quando alteri placuerit: quod autem interim quaestum vsu pecuniae faciant, industriae fructus est, non pecuniae: vnde hoc non impedit, quin pro obsequio, quod praestant depositori, possint mercedem percipi. Interdum fieri potest, vt deponentes lucentur; vt si nolint pecuniam suam tradere, nisi in societatem negotiationis per tres contractus, de quibus infra. Hoc modo in Hispania & Gallia fortasse accipiunt depositores 6. vel 7. in 100. à bancariis, quamuis Nauarr. cap. 17. nu. 293. putet eos committere vsuram, si ex pacto tacito vel expresso accipiant. Sed hoc intellige, nisi talis vel similis contractus interuenierit. Interdum fieri potest, vt neuter lucretur: vt si depositores nolint eam tradere titulo depositi, sed mutui vel precarij: tunc enim nihil poterit exigi ratione custodiae, quia alter tradit rem suam, non alterius; cum ex vi mutui transferatur dominium in mutuatarium. neque ratione obligationis soluendi; quia haec obligatio tali mutuo est intrinsecè connexa. Deinde etiam si non cogitent de mutuo, sed simpliciter apud bancarium deponant, tamen non tenentur soluere mercedem; quia cum magnum bancario beneficium praestent, quod apud ipsum potius, quam apud alium pecuniam suam deponant, vicissim intendunt ab ipso beneficium accipere, (videlicet custodiam suae pecuniae) ad quod ex gratitudine tenentur. si enim indicaret se nolle id gratis praestare; facile alij inuenirentur, qui id libentissime susciperent.

76

Dico Secundo, Campfor potest aliquid exigere nomine prouisionis seu mercedis à campfario. Primo, Si periculum sortis, volente campfario, in se suscipiat. sicut enim mutuans vel emens anticipata solutione, vel credito vendens, potest exigere pignus vel fideiussorem, vt sibi cautum sit de sorte: ita etiam cambiens; vt rectè docet Boninsigli cap. 7. num. 23. vnde si campfarius non habeat pignus vel fideiussorem, vel si petat vt ipse campfor id periculi subeat; poterit campfor aliquid pro eo onere bona fide aestimatum accipere. Secundo, Si fideiubeat pro campfario apud eum, cui debitum traicitur, id est, apud respondentem campfarij; praesertim si ille non sit famulus, seu factor campforis. Ratio est, quia obligat se pro campfario ad soluendum illi, si contigerit campfarium illi non soluere: quae obligatio est aliquo pretio aestimabilis, quamuis exiguo; praesertim quando campfor aliunde est securus suae sortis. est tamen alicuius momenti, quia si alius fideiussisset, campfor non posset conueniri à respondente campfarij; atqui nunc conueniri potest, si campfarius tempore constituto, suo respondenti non soluat. Quod si ille sit famulus, vel factor campforis, non potest campfor quidquam pro fideiussione exigere: tum quia verè non fideiubet, (non enim obligat se alteri pro campfario, nec vllum nouum periculum subit) tum quia hoc ipso securus est famulus de solutione sibi facienda pro debito traiecto, quo dominus eius securus est de sorte & lucro sortis (nam censetur vna eademque persona) atqui dominus est securus, si iam antea pignus vel aliam sufficientem cautionem accepit: ergo non potest hic esse vera fideiussio pretio aestimabilis. Dico, si cautionem sufficientem accepit: quia

77
Quibus campfor à campfario prouisiones possit accipere.

78
Si famulus vel factor seu gestor negotiorum.

quia si nullam cautionem accepit, nec campfarius eam dare potest; aut non cupit, potest estimare periculum, cui suam pecuniam, prior numerando, exponit: non tamen fideiussione, qua apud suum famulum videtur fideiubere.

79 *Qui pecuniam nomine alterius numerans.* Dico Tertio, Exigere etiam potest prouisionem is, cui debitum traicitur, id est, respondens campfarij, vel campforis, qui pecuniam in loco disticto numerare debet: huic tamen satisfacere debet is, cuius nomine pecunia numeratur; (isti enim illam operam suam locatam habet, & obsequium praestat) non autem ille, cui numeratur. vnde iniqua est consuetudo quorundam, qui cum debeant v. g. 1000. aureos, mittunt chirographum ad suum respondentem, vel ad banearium, quo iubent solui tantum 1000. cum sciant ipsum nomine prouisionum detracturum §. vel 6. de tota illa summa: debent enim curare vt integra solutio fiat. vnde tenentur illud supplere, quod ille detraxit; quamuis ille detrahendo, iniuriam non fecerit.

80 Dico Quarto, Campfor & respondens nihil possunt exigere a campfario, ratione laboris numeranda pecuniae, vel scribendi litteras & mittendi ad suos respondentes. Ratio est, quia ex natura contractus hunc illi laborem debent. sicut emptor numerans pecuniam venditori, vel scribens ad amicum vt ei soluat, non potest aliquid pro eo labore a venditore petere. similiter nec amicus pecuniam ipsi numerans, quamuis huic merces debeatur ab eo, cuius nomine illam numerat.

DVBITATIO IX.

Vtrum possit fieri pactum de eo quod interest campforis, vel de recambio, si campfarius fuerit in mora.

81 *Pactum de interesse.* Respondeo & Dico Primo, Iuste posse fieri pactum de interesse, sicut in aliis contractibus: vt si campfor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam sub vsura, aut lucris per cam speratis exciderit. Potest autem a principio dupliciter pacisci. Primo, De incerto, vt campfarius cogatur omne damnum emergens & lucrum cessans, quod postea ratione dilationis obuenerit fuerit deprehensum, sarcire. Secundo, De certo aliquo; vt si exigat certum quid pro periculo cui se exponit, concedendo dilationem vltra terminum ordinarium: sed hoc secundum non est licitum, vbi Bulla Pij V. de cambiis seruatur. alius vero per se non est illicitum, cum ea moderatione, qua dictum est c. 20. dub. 13. posse id in mutuo permitti. haec enim concessio dilationis, est tacitum mutuum.

82 *De recambio.* Dico Secundo, Campfor non potest pacisci cum campfario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eandem summam accipere ad recambium: nisi certo constet, tantum lucri illum ex illa mora amissurum, quantum ex recambio perciperet. Ratio est, quia non potest plus exigere ratione morae, quam estimationem lucri cessantis & periculi fortis, itaque cum detrimenta recambiorum saepe sint maiora, non potest illum ad haec obligare.

83 Si tamen campfor moraliter certus esset, se eandem pecuniam, si termino constituto soluta fuerit, statim ad cambium aequè vel magis lucrosius dare posse; posset stipulari vt campfarius teneatur tantum diu pecuniam illam per cambia & recambia ad

singulos terminos accipere, donec tandem soluerit sortem: quia hoc nihil est aliud quam illum obligare ad interesse lucri cessantis.

Petes, Vtrum tunc ipse campfor & eius respondens possint consuetas prouisiones exigere? Videntur enim non posse: tum quia campfarius non petit illas scriptationes & gyrationes vltro citroque, sed illa sunt gratia campforis, vt videatur semper verum cambium facitare; tum quia non fit noua pecuniae numeratio.

Resp. Posse in rigore exigere; (quamuis id sit satis inhumanum, ac proinde apud honestos non vitatum) idque titulo lucri cessantis. nam ponimus, campforem eiusque respondentem percepturos eas ab alijs, si campfarius condicito tempore soluisset. Adde, has scriptationes non posse omiti; quia alioqui campfor censeretur vsurarius apud suos, inter quos vsu receptum est, vt nisi litterarum missio appareat, cenetur cambium ad eundem locum; & condemnetur tamquam vsurarium. vnde etiam ratione indemnitate, necessaria est litterarum missio.

Petes, Vtrum id quod campforibus debetur ratione prouisionum & interesse, possit ab ipsis continenter adici fortis, vt cambium augeant?

Resp. Id fieri non posse, nisi moraliter certi sint se illud potuisse alijs statim ad cambium dare, & An fortis per illud lucrari; tunc enim ratione lucri cessantis possunt illud fortis vnire ad cambij augmentum.

DVBITATIO X.

Vtrum campfor, quando post multa cambia & recambia debitor ei soluit partem aliquam, teneatur illam acceptare in sortem, antequam sit satisfactum detrimentis cambijs.

84 *Consuetudo campforum.* Notandum est, esse consuetudinem campforum, vt non acceptent solutionem fortis, nisi simul soluatur cambiorum detrimenta, seu lucra & interesse. Quidam putant id esse iniquum. Primo, Quia quando quis est debitor ex pluribus causis eidem creditori, in potestate debitoris est, soluere prius vni debito maluerit; quia debitor potest legem dicere rei suae, nempe vt sit pro debitor; quod ipsi placuerit; vt habetur L. 1. 7. de solutionibus. Secundo, Quando quis est debitor ex pluribus causis, si aliquid soluat, id censetur solutum pro debito, quod magis grauat: nisi debitor contrarium exprimat; vt habetur L. 3. 4. & 5. 7. eodem titulo, atqui magis grauat debitum fortis quam vsuratum, seu detrimentorum, quando haec non sunt vnita fortis: ergo prima solutio censetur facta pro sorte.

87 *Non est iniqua.* Respondeo tamen, verius esse, illam consuetudinem non esse iniquam, sed Iuri consentaneam. Probat, Quia quando ex debito aliquo principali, tamquam ex radice, nascuntur alia debita tamquam fructus; tunc si fiat solutio, primo censetur fieri pro fructibus illis dependentibus: deinde si quid superfit, computatur in sortem; vt expressè habetur L. 1. C. de solutionibus. & L. Si vsuras 21. C. de vsuris. idque consentaneum est praxi in similibus debitis; vt in debito censuum, & in debito ex contractu societatis. Leges autem illae

illa in contrarium citata, loquuntur de debitis ex diuersis causis. hæc autem non nascuntur ex diuersis, sed ex vna eademque radice: nam alterum ex altero, tamquam fructus à re fructifera, pendet. Idem dicendum, quando aliquid debetur ratione interesse prouenientis ex mutuo; hoc enim Iura passim vocant vsuras, quas volunt intelligi solutas ante sortem; vt patet d.L. Si vsuras, supra.

DUBITATIO XI.

De conditionibus, quas requirit Pius V. in sua Bulla de cambiis, & an omnes obligent.

88 **H**anc Bullam refert Nauarr. cap. 17. nu. 300. Respondeo Primò, Damnat Pontifex tamquam vsuraria omnia cambia sicca; qualia sunt ea, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, eò quòd alter alibi pecuniam habeat.

Secundo, Vbi et feruari quasdam conditiones in cambio reali.

91 **P**rima est, Ne campfor ratione dilationis, vltra terminum præstitutum concessa, paciscatur de aliquo lucro; id enim esse vsurarium.

92 **S**ecunda est, Ne ab initio vel postea paciscatur de certo interesse, etiam in euentu, quo non fieret solutio debito tempore.

89 **V**bi Notandum Primò, Solum prohiberi pactum de certo interesse futuro ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. vnde non prohibetur pactum de interesse incerto, quod postea ex mora campforij deprehensum fuerit. Item non prohibetur ne pœna moderata adiciatur, si ex negligentia tempore conuento non fuerit facta solutio.

90 **N**otandum Secundo, Nauarrum existimare, hanc prohibitionem fundari in præsumptione fraudis vsuraria: itaque in foro conscientia, vbi

cessant præsumptiones, valere pactum de certo interesse, si moraliter constet istud iustum esse; idque etiam in locis, vbi hæc Bulla recepta fuit. Ita docet cap. 17. Enchiridij num. 301. versiculo Nota quartò. quæ sententia videtur vera, præsertim cum Pontifex non irritet tale pactum: mens tamen ipsius est, absolute tale pactum vetare, vnde erit illicitum, vbi Bulla est recepta, quamuis non irritum.

Tertia Conditio, Ne realia cambia aliter quam ad proximas nundinas fiant; vel si nundina non agantur, proximis terminis, iuxta receptum locorum vsuum. Vbi Nota Primò, Non licere ad secundas nundinas dare cum maiori lucro quam ad proximas; cum pari tamen licere. Nota Secundo, Si quis ratione veri interesse plus exigeret quando ad secundas nundinas concedit, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra hanc Bullam, vbi est ea recepta, & puniretur in foro exteriori tamquam vsurarius; non tamen teneretur ad restitutionem ante sententiam Iudicis. Ratio est, quia in re, nulla est facta inæqualitas.

92 **Q**uarta est, Vt in terminis solutionum constituendis, habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; ne dum longiores præfiguntur, quam loca destinata solutioni desiderant, fœnerandi detur occasio.

Vbi notandum est, non improbari hæc terminos solutionum in nundinis, qui sæpè triplo vel sextuplo sunt longiores, quam locorum intercedo postulet; quia non possunt illis locis commode alij termini constitui: sed de terminis extra nundinas. videtur autem tacite improbari consuetudo illa, qua campfores eò amplius luerantur, quòd longius est tempus ante nundinas. Verum probabile est, eam non improbari, quando illa variatio fit communi mercatorum iudicio; idque ob causas, quæ communiter ipsis videantur æquæ, vt supra dictum est. Quod ad obligationem eius attinet, puto paucis locis, & forte nusquam (saltem quoad omnes eius conditiones) esse receptam.

Pactum de certo interesse, esse, non est irritum.

Ad proximas nundinas.

Termini solutionum.

An recepta.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

De Locatione & Conductione, Emphyteusi & Feudo.

Complectitur Dubitationes 15.

H contractus sunt inter se valde similes; nam in his vtilitas & fructus rei transferuntur in alterum pro aliqua pensione vel obsequio, retento dominio, saltem directo. quare de his breuiter vno eodemque capite tractabimus.

DUBITATIO I.

Quid locatio, conductio, emphyteusis, feudum, & luellus.

RESPONDEO, Locatio est contractus, quo persona vel res aliqua ad vsuum vel fructum pretio conceditur. Dico persona, quia potest quis seipsum, & seruum suum locare alteri. Dico res in genere, siue mobilis sit, siue immobilis. *Ad vsuum*

vel fructum, quædam enim locantur solum ad vsuum, vt seruus, equus, domus, & similia, quorum fructus non est alius quam vsus ipsorum. quædam ad fructum, vt agri & pascua. Item Iura, vt redditus, vectigalia. Pretio, id est, pro pecunia: sicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio. alioquin si fiat pro alia re, vel obsequio, erit contractus innominatus, do vt des, do vt facias, &c. vide Siluestrum v. Locatio, num. 1.

Conductio est contractus, quo persona vel res ad vsuum vel fructum comparatur pretio. sicut enim vnus idemque contractus ex parte vnus vocatur emptio, ex parte alterius venditio; ita etiam vnus idemque contractus, ex parte vnus est locatio, quæ est similis venditioni; ex parte alterius conductio, quæ est similis emptioni: nam emit operas, vel fructus rei aut personæ.

Emphy-

Conductio.